



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Coniunx bonus, quantu[m] bonu[m]?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

vtroque eam brachio auidissimè amplexans ; cùm alij suas cruces minores timidè, & propè trepida manu tangerent, ac tenerent. Tandem, cùm quisque iussus esset, versis truncis, & ostensis titulis explorare, quam sibi crucem elegisset, alius, in cruce cretatâ inuenit hunc titulum : NOVERCA : alius, INOPTIA : alius, ÆGRITUDO : alius, INIVRIA : alius alia infausti ominis nomina. Itum est denique, vt anquireretur, quidnam esset crux maxima ? Et maximâ ibi erat spectatorum auiditas sciendâ, quidnam elegisset, qui crucem maximam, tam heroico facinore, elegerat. Rotauit ergo illam in circulum, & ecce, in auersa parte, nomen crucis maximæ legebatur : VXOR. Huius titulo ingenti risu spectatores applauserunt. Vel ipso igitur Mundo teste, magnum malum dat Deus, cui malam vxorem dat : neque eos potest aptius plectere, quàm talibus feminis, qui cum feminis peccauerunt.

V. Quemadmodum è diuerso, magnum virtutis præmium est bonus maritus, aut vxor sanctè morata. Nam *mulieris bonus vir*. Siquidem *mulier fortis oblectat virum, & annos vite illius in pace implebit. Pars bona mulier bona : in parte bona timoratum Deum dabitur viro, pro factis bonis.* Quo loco attentè cogitandum est, quænam vxor *annos vite viri in pace compleat*, quales haud sanè nullas vidimus, quæ nullo vnquam verbo aspero virum læserunt, quàm diu cùm illo cohabitârunt. Nimirum *mulier fortis oblectat virum* ; debet enim esse fortis, & non nimis delicata, quæ ad quemuis viri næuum insanit, sed quæ aliquid etiam glutire, aliquid deuorare, aliquid concoquere possit. Tum enim *annos vite viri in pace implebit*, quando non statim in fermento erit ; neque illico in pugnos & pugnas ebulliet ; aut, felis, immo tigridis instar, vngues exeret, vel pro clauâ clauas arripit ; sed offensa filere ; & , pro truci vultu, oculos comes reddere, ac ad rugas coniugis iracundi poterit renidere. Magnum hoc Dei donum est, siue vir talis obtingat, siue vxor. *Gratia mulieris sedula*, inquit Siracides, *delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit : disciplina illius datum Dei est gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Sicut sol oritur Mundo in altissimis Dei, sic mulieris bona species in ornamentum datus eius.*